



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

I. De immunitate ecclesiae, & debitis eidem reddendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

LEGES EDGARI REGIS.

LEGES quas Edgarus rex frequenti senatu ad Dei gloriam, regiae maiestatis ornamentum, ac reipublicæ utilitatem sanciuit.

I.

Primum, ecclesia Dei iura atque immunitates suas omnes habeto : decimas quisque primariæ (cui is fuerit subiectus) ecclesiæ, ut ipsum quidem circumducitur aratum, dato, siue id in prædiis thanorum propriis, siue in terris villicorum fuerit.

II.

Thanus si in terra ex scripto possessa templum habuerit, circum quod fuerit destinatus sepulturæ locus, decimorum suarum trientem vnam in id conferre ei integrum esto. Sin circa templum nullus fuerit designatus humationi locus, dato qui est fundi dominus sacerdoti nouem partium reliquarum quantulum visum fuerit. Atque ex omni quidem ingenuorum terra, ipsæ seminum primitiæ primariæ penduntor ecclesiæ.

III.

Quisque fetuum decimas omnes ante pentecosten persoluito : terræ quidem fructuum decimas ante æquinoctium pendito : ipsas autem semenum primitias sub festum diui Martini reddito. Si quis non soluerit, poenas, ut iudicali libro proditum est, dato. Atque si quis decimas, ad eum quem diximus modum, dare noluerit, præpositus regius, illius loci episcopus, & sacerdos conueniunto, atque eo vel inuito decimam ecclesiæ cui debeatur partem, nona ei reliqua facta, reddunto : quod ad residuas octo partes attinet, quatuor dominus, quatuor episcopus habeto ; id quod fiat, siue is fuerit minister regis, siue thani alterius cuiuscumque.

IV.

Denarius autem in domos singulas impositus, ante festum diui Petri redditor, qui tum non soluerit, denarium illum ac alios præterea triginta ad Romam comportato, certaque literarum testificatione domum rediens se eo detulisse confirmato, ac regi denique centum virginis solidos numerato. Si quis secundo non dederit dena-